



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

V. Dubium incidens de natura cœli Empyreï.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

superiori vniuerso, etiam si plura corpora complectatur, licet fateamur de celo visibili esse loquutum, non est necesse, vt loquatur de celo tantum secundum illam partem, quæ visu attingi potest, nam hæc machina celi simpliciter visibilis est, licet non possit tota visu penetrari, & ideo cum dicitur Deus creator celestis machinæ, non intelligitur tantum creasse illam quoad illam partem, quæ visibilis est, sed absolute totam, atque adeo etiam empyreum cælum. Quæ argumenta sicut recte probant, cælum empyreum tibi esse comprehensum, ita à fortiori conuincunt celos visibiles non esse exclusos, vt in superiori capite traditum est.

17.
Ad fundam.
contrarium
in num. 14.
Pro confirm.
1 ibid. ad-
ducta caput
sequens in-
feruitur.

Atque ita responsum est ad fundamentum contrariæ sententiæ, & loca etiam Patrum obiter explicata sunt. Prima vero confirmatio petit, vt de huius celi natura, proprietatibus, & efficientia, seu effectibus aliquid dicamus. Quauis enim hæc philosophica esse videantur, re tamen vera physica non sunt, quia cælum illud, licet ens materiale sit, in rigore tamen non est ens mobile secundum ordinariam potentiam, nec per motum cognosci potest. Et propter similem rationem non cadit sub Metaphysicæ naturalis consideratione: præsertim quia huiusmodi cælum etiam est extra obiectum eius, eo quod materiale sit. Sola ergo Theologia potest aliquid de proprietatibus huius celi inuestigare, nam per reductionem quandam ad accidentalem gloriam beatorum pertinet. Et nihilominus etiam Theologi vix possunt de natura vel proprietatibus huius celi quippiam inuenire, quia nihil fere de illo reuelatum est. Et ideo longa disputatione omissa, quæ in his, quæ præposui, verisimiliora videntur, breuiter attingam.

CAPVT V.

Dubium incidens de natura celi empyrei.

1.
Assertio.
quod cælum
empyreum
est materia
composita
Prædicta
materia cu-
iusmodi na-
tura sit, in-
quiritur.

Primo igitur de natura, & substantia huius celi probabilis censeo, esse compositum ex materia, & forma, nam supponitur esse quantum, & corporeum, quod sine materia esse non potest: at quia perfectus cæteris esse creditur, formam etiam habere necesse est, quia illa maxime ad perfectionem pertinet, & ideo in omnibus cælis ponitur, vt probabilior opinio fert. An vero materia illius celi sit altioris rationis, quam materiæ aliorum corporum tam celestium, quam inferiorum, controuerti potest. Sciendumque est, hanc comparationem fieri solere inter inferiores celos, & elementa, cæteraque inferiora corpora, seu mista, & in ea esse varias opiniones, quas tractauimus in disp. 13. Metaph. sect. 11. Qui ergo putant, materiam cælorum, & elementorum esse eiusdem rationis, quia in pura potentia non existimant specificam differentiam posse inueniri, consequenter dicent, etiam materiam celi empyrei esse eiusdem speciei cum reliquis, quia etiā est pura substantialis potentia. At illud fundamentum debile est, vt in citato loco ostendi. Qui vero putant, materiam celi crystallini, & inferiorum esse eiusdem rationis cum elementari, quia omnia sunt ab intrinseco, & de se corruptibilia ex parte materiæ, licet ex parte formæ habeant aliquem modum incorruptibilitatis: nihilominus dicere possunt, materiam celi empyrei esse altioris rationis, quia ab intrinseco incorruptibile est, & inalterabile. Et ita sentiunt moderni, qui solum cælum empyreum in primo creationis instanti productum ex nihilo, alios vero celos postea ex aqua formatos autumant, vt Molin. & Salmeron.

2.
In eodem 2.
modo astru-
endo excessi-
uè abulans

Idemque opinatur Abulens. in cap. 23. Exodi q. 53. excedit tamen, quia non solum dicit cælum illud licet corpus sit, & ideo non fit totaliter spirituale, tamen esse quasi spirituale, quia non est de

materia aliorum cælorum, sed etiam addit: Imo non dicitur esse de materia. Et sic illud est sexta essentia: quod autem materiale non est, non conuenit cum rebus materiæ in natura, quæ uel modo. In quibus verbis obscurum est, in quo uero sensu dicat, cælum empyreum dici esse de materia. Nam si ex vera materia cõstat, quomodo non est de materia? Fortasse tamen intellexit, non esse de materia, id est, non esse factum ex materia præiacente, sicut ipse de alijs cælis opinatur, quos habere materiam eiusdem rationis cum elementari, & ex illa præexistente fuisse progenitos arbitrat, & ita in hoc constituit differentiam inter cælum empyreum, & reliquos. Et nihilominus illud dicit esse sextam essentiam, quia licet ponat alios celos eiusdem materiæ cum elementis, nihilominus illos dicit esse quintam essentiam respectu elementorum, quia non tantum ab illis specie differunt, sicut ipsa elementa inter se distinguuntur, & etiam ratione formæ sunt incorruptibiles, in quo inter se conueniunt, & ideo cuiusdam quintæ essentiæ esse dicuntur. At empyreum dicitur esse sexta essentia, quia secundum materiam, & formam esse incorruptibile, ac subinde alterius rationis. Atque hæc cum probabilitate, & consequenter dicta sunt. Quod vero vltimo hinc inferat, cælum empyreum non conuenire cum cælis materialibus quouis modo, nullam consecutionem, vel probabilitatem habet. Quia est omnia illa essentia vera, nihilominus cælum empyreum cum cæteris corporibus incorruptibilibus in compositione essentiali ex materia, & forma generatim sumptis, & in capacitate trinitatis dimensionis, & quantitatibus, & in aliqua perpetuitate ab intrinseco: cum cæteris vero elementis in ratione communi corporis simplicis conuenire.

At vero iuxta opinionem D. Thomæ, quam ueriores existimamus, quod materia celestis est diuersæ rationis ab elementari, non oportet in cælo empyreo fingere altioris ordinis materiam, sed eiusdem generis cum celesti, licet intra illud sit perfectioris speciei eo modo, quo in pura materia species esse potest, quia ex natura sua est ad nobiliorem formam determinata. Hæc enim differentia cum proportionem etiā inter materias inferiorum cælorum inuenitur, supponendo, celos ipsos inter se specie distinguere, vt in dicto loco Metaphysicæ, consequenter loquendo, asserendum esse docui. Veruntamen, etiam si quis opinionem illam amplectatur, quæ totam materiam cælorum mobilem dicit esse eiusdem rationis, licet ab elementari sit distincta: nihilominus sine repugnantiā, & cum maiori probabilitate dicere potest, materiam celi empyrei esse altioris rationis à reliquorum cælorum materia: non quia id sit simpliciter necessarium ad incorruptibilitatem ab intrinseco, sed quia ad maiorem perfectionem essentiali nobilioremque modum incorruptibilitatis spectat. Et quia tota illa perfectio cælo empyreo tribuenda est, quia fini, propter quem creatus est, est maxime proportionata. Atque ita consequenter etiam dicere possunt sic opinantes cælum illud esse cuiusdam sextæ essentiæ, vt explicauimus. Nos vero quia credimus, hanc perfectionem habendi materiam specificam, & determinatam ad suam formam esse communem omnibus corporibus celestibus specie diuersis, ideo non iudicamus necessarium, tribuere cælo empyreo sextam essentiam, sed nobilissimum gradum speciei in illo genere quintæ nature simplicis, in quo cæli omnes superiores elementis creati sunt.

De forma vero empyrei celi solum queri potest, an sit anima. Sed in hoc credimus, eandem omnino esse rationem in illo cælo, ac in cæteris inferioribus, ac proinde omnino certum esse illud cælum non esse animatum, nec formam eius esse

animam sicut de formis aliorum celorum in philosophis quaestionibus de celo quest. 5. dixi, & ex dictis supra de Angelorum substantia sufficienter intelligi potest. Nam forma, quae in corpore, & per corpus non potest actionem vitae exercere, non potest esse anima: at vero forma calis empyrei non potest in illo corpore exercere opera vitae vegetativae: quia incorruptibile, & ingenerabile est: neque etiam potest per illud cognoscere, quia cum sit simplex, & incapax alterationis, non potest habere organum sensuum, per quae talis cognitio, omnisque operatio animae sentientis fit. Opera autem vitae intellectualis proprie non exercentur per corpus, nec forma, quae est principium intellectualis cognitionis, esse potest forma corporis, nisi possit illo uti ad talem cognitionem acquirendam, ut de Angelis ostensum est. Ergo materia illa calis empyrei, quantumvis sub alia ratione sit subtilior, & perfectior, non est capax formae, quae sit vera anima, & quoad hoc eadem ratio est de illo, quae de inferioribus. Unde quicquid difficultatis in hoc puncto occurrere potest, ex generali quaestione, & ostensione, quod calum non sit animatum, petendum est.

Secundo de proprietatibus huius caeli. Primum communiter receptum est, illud esse ab intrinseco incorruptibile, vitam declaratum est, & consequenter etiam mensurari aëo, sicut de Angelorum substantia, & aliarum rerum interruptibilium existentia dictum alibi est, praesertim disp. 50. Metaph. sect. 5. & 6. Dicitur etiam hoc calum esse immobilitate, quod sano modo intelligendum est. Non est enim ita immobile, ut sit omnino incapax motus localis proprii, ac physici: nam eo ipso, quod verum corpus, & quantum est, habet potentiam passivam ad localem motum saltem neutram, ut Scotus loquitur: quia est vere in loco physico, & finito, & potest esse propinquius, vel remotius ad alia corpora, saltem secundum partes suas. Unde si Deus voluisset, moveri ab aliqua intelligentia potuisset, neque id esset violentum tali corpori, quia nulla naturali perfectione propterea priuaretur: quiescere enim nulla perfectio talis corporis est, licet respectu vniuersi possit esse conueniens. Unde solum non mouetur, quia esset superfluum, & finis, propter quem a Deo creatum est, minime consentaneum, tamen hoc totum respectu particularis naturae calis extrinsecum est, & ideo non est illi quies ita naturalis, ut motus circularis violentus fururus esset, si fieret, quauis secundum legem ordinariam, & respectu ordinis totius vniuersi posset dici extraordinarius, & miraculosus. Neque etiam obstat, quod hoc calum supremum sit, & ideo non habeat extrinsecum locum continentem, in quo possit moueri: tum quia hoc solum est verum de facto, nam posset Deus aliud calum supra istud creare, nulla facta violentia tali caelo, sed iuxta consilium voluntatis suae vniuersum totum augendo: tum etiam, quia ad circulationem motum non est necessarius superior locus extrinsecus continens: sed absque illo physice, ac naturaliter fieri posset, sicut Philosophi de primo mobili existimauerunt. Accedit, quod calum empyreum vniuersum, ac prorsus homogeneum esse creditur, totum lucidissimum, & secundum omnes suas partes aequè splendidissimum, ac subinde aequè perfectum: & ideo nec indiget motu circulari, ut secundum varias partes aliter, & aliter alijs partibus orbis applicetur. Neque si ita moueretur peculiaris violentiam pateretur, quia nulla eius pars magis postulat esse in hac parte vniuersi, quam in altera, vel in hoc hemisphaerio potius, quam in alio, cum omnes eiusdem rationis sint. Et ergo immobilitas illius corporis ex recto ordine vniuersi, non ex peculiari debito (ut sic dicam) talis naturae.

Sunt de opere sex dictum.

Interrogant autem aliqui Theologi, an calum illud solidum, vel flexibile, seu fluidum sit. Quod dubium specialiter tractat Daniel Malonius in 2. d. 2. disp. 7. sect. 5. Et probabilior censet esse corpus fluidum accedens, & recedens secundum partes. Fundatur, quia si esset solidum, non posset inferuire corporibus beatis vel ad motum, vel ad locutionem, aut respirationem: item quia aliàs daretur perpetua corporum penetratio. Quas rationes ipsemet fateatur posse dissolui, nihilominus tamē probabiliores esse, quam quae in contrarium adduci possunt. Mihi tamē oppositum videtur longe probabilius. Primo quidem, quia si illud corpus fluidum est, profecto est mobile intra eundem locum secundum varias partes, & per modum fluxus, & refluxus, seu accessus, & recessus. Hoc autē est contra receptum dogma omnium ponentium illud calum prorsus immotum. Secundo, quia illa species motus localis valde imperfecta est, non enim potest intelligi sine aliqua diuisione, condensatione, & rarefactione partium talis corporis, quae repugnat corpori incorruptibili. Antecedens declaratur, quia si corpus beati ascendens ad illud calum, non penetrat per illud manens immotum, sed calum illud cedit corpori beati, necesse est, ut partes talis corporis diuidantur, ut dent locum humano corpori subintranti, & consequenter necesse est, ut partes secundum latera comprimantur, & postea transeunte corpore beati, rarefiat, ut ad priorē locum reuertantur, & continuitatem iterum accipiat, sicut nunc sit in aere, vel aqua. Tertio, quia ante ascensum corporum beatorum calum illud replebat adaequate totum spatium, in quo creatus est: si ergo postea ad eundem locum, seu ad idem spatium ascendant innumera multitudo corporum beatorum, & intra illud spatium, ac calum recipiantur, & singula occupent spatia sibi proportionata, & cum partibus calis non penetrarent, profecto necesse est corpus illud caeleste condensari, ut in minori spatio recipi possit, vel extra illud totum spatium dilatari, seu ascendere per plures partes suas, quod non potest intelligi sine mutatione figurae, & dispositionis antiquae, alijsque similibus imperfectionibus, illi perfectissimae naturae repugnantibus.

Denique ex alterius sententiae coniecturis non fit probabilis illa sententia, quia necessitas illius proprietatis calis empyrei ad usum corporum beatorum nec probabiliter suaderetur. Nam in primis quod spectat ad motum localem, poterunt beatorum corpora in illo caelo, vel per illud moveri, sicut per inferiores celos: possunt autē per ceteros moveri, vel transire, etiam diuisibiles, vel fluxibiles non sint: ergo idem erit in caelo empyreo. Nec refert, quod diutius, vel permanentius in empyreo caelo sint commoraturi, tum quia eadem est ratio de longa, vel breui mora, & de pluribus, vel paucioribus motibus: tum etiam quia post diem iudicii quando omnes sancti homines iam erunt in corpore, & animo beati, libere discurrunt per alios celos, vel per totum vniuersum, ut alibi tractatum est. Deinde ad loquendum non indigebunt corpore caelesti tantquam instrumento, quo ad vocem formandam utatur, sicut nos aere utimur. Quia (ut ex materia de Beatitudine suppono) corpus gloriosum non erit in partibus internis vacuum, sed omnia illa interiora loca corporis, quae nunc alimentis, excrementis, superfluis humoribus, aut aere replentur, tunc purissimo, ac lucidissimo aere replebitur: illo ergo utentur ad formandam vocem, & in caelo empyreo solas intentionales species emittent, ut ab alijs audiantur, quod sine vlla commotione, vel fluxu caelestis corporis fieri poterit aequè ac immutatio visus. Praeterea respiratio in illis corporibus necessaria non erit, quia nulla in eis erit alteratio, & ita neque corda eorum nimia calefactione efficien-

C

6. 3. Proprie
tem addit
Malonius,
quod sit fluidum.
Duplicatione
ratione fundatur.

Requiritur
tamen tripliciter.

E. Z.
lis, oppo
im, et

Tom
21
111
1 part

2

7. Ad fundam
menta Malonij
in n. praedicti
vide D.
Thom. in 2.
d. 1. q. 2. art.
2 ad 5.

vide 2. 2. 2. 2.
3 p. disp. 48.
sect. 4. 5.

tur, propter quam respiratione indigeant. Denique corpora beata non erunt semper intra corpus celi empyrei, sed supra conuexu illius plantas pedum habebunt, quando voluerint. Imò hic est quasi proprius illorum situs, & locus, sicut de Christi corpore alibi ostendimus. Quando verò beati intra ipsum celum empyreum esse voluerint, nullum est inconueniens, quod semper penetrent illud, idem enim erit de alijs celis, quando per illa suo arbitrio transire, vel discurrere voluerint.

Vide 2. com.
disp. 21. f. 1.
& 21.

8. Vltimò circa vim agendi celi empyrei in alia corpora, vel in hæc inferiora dubitant Theologi an illud celum hæc inferiora influat, vel ex se lumen, aut aliquam qualitatem emittat. Res tamen est adeò ignota nobis, vt vix cōiecturis possit aliquid probabiliter ostēdi. Nihilominus tamen sunt opiniones. Prima negat aliquid influere. Hanc tenuit D. Th. in 2. d. 2. q. 2. ar. 3. vbi alijs etiam nonnullis placet, & Alenf. 2. p. q. 47. memb. 1. Prima ratio à priori esse potest, quia celum empyreum non est factum, ad conseruandas res corruptibiles vel in indiuiduo, vel in specie per continuam generationum successiōem: sed tantum est factum propter perfectionem vniuersi, præsertim in ordine ad finem supernaturalem, vt sit beatorum domicilium: ergo est omnino abstractum ab influentia in hæc inferiora. Secundò, quia celi non agūt nisi mediante motu, vt de ceteris patet, vnde dici solet, quod si motus celorum cessarent, omnia hæc inferiora perirent, quia celi nihil in ea influerēt. Addi etiam solet, quod corpus nō mouet nisi motum: sed celum empyreum est immotū: ergo nō influat. Tertiò, illud supremū celum nihil influit in celos sibi proximos: ergo neq. in remota elemēta. Consequētia clara est, quia iuxta principia bonæ Philosophiæ corpus remotū nō agit in distās nisi per proximū, vel agēdo in illud. Antecedēs verò patet, quia corpus illud non influit iuxta in alia corpora celestia, licet in se lucidissimum sit, alioqui videri posset: sed celum non influit, nisi per lumen: ergo. Quartò explicari non potest, qualis influentia hæc sit.

9. Altera nihilominus sententia docet, celum illud influere in hunc mundum inferiorem. Hanc sententiam prætulit D. Th. 1. p. q. 66. a. 3. ad 2. & quodlib. 6. q. 11. a. 19. vbi expressè cōtrariam sententiam retractat, vt notat etiā Caiet. circa dictam solutionem ad 2. qui hanc vltimā sententiam amplectēdam censet. Et eandem sequuntur Richar. in 2. d. 2. a. 3. q. 3. Dur. q. 2. Egid. q. 2. a. 4. Argent. q. 2. ar. 1. Variæ autem rationes ad hoc suadendum afferuntur. Prima, quia vnumquodq. corpus materiale cōseruatur à proximo superiori corpore tanquā à loco naturali, in quo continetur: ergo primum mobile hoc modo cōseruatur à celo empyreo, in quo cōtinetur: ergo necesse est, vt celum empyreum in illud influat, & consequenter per illam influentiā agat in inferiora, quatenus virtutē influendi eius continet, vel roborat. Sed hæc ratio parui momenti est. Nam maior intellecta de cōseruatione propria per propriam actionem, veramq. efficiētiā falsa est, vt bene notauit Dur. sup. n. 7. quia elemētum ignis in sua sphaera existens locus naturalis est purissimi aeris vicini, quem circumdat, & cōtinet: ignis autem ille nihil influit in aerem, alioqui vel illum calefaceret plus, quā natura eius postulet, vel humiditatem eius minueret, quod non esset illud cōseruare, sed ad corruptionem disponere. Fingere autem aliam influentiā in igne, cōmentitium est. Item illud principium, quod omne corpus cōseruatur à loco naturali, nullū habet fundamentum. Nam si corpus cōtētum sit per se factum per creationem, quia est natura sua incorruptibile, non indiget alia causā cōseruante præter suum creatorem: imò à nullo alio cōseruari potest, quia à nullo alio pēdet in esse, sicut neq. in si-

2. Opinio affirmat. Et aliquid probatur.

1. Ratio, sed infirma.

ri. Si verò corpus illud sit natura sua corruptibile, vt aer, & quodlibet elemētum: & illud non indiget cōseruante per se præter Deum, sed solum indiget cōseruante per accidens, id est, non corruptente, seu remouente prohibens, & sic se habet ignis ad aerem, & ad hoc non est necessaria influentia positiua, vt per se patet. Ergo vt celum empyreum sit locus suo modo naturalis proximis inferioris celi, non est necessaria influentia, sed continentia cum debito, & connaturali ordine.

Secunda ratio est, quia si celum empyreum nullam influentiā haberet, non pertineret ad vnitatem vniuersi, quod est inconueniens. Sequela debet probatur, quia vnitatis vniuersi est vnitatis ordinis: ordo autem hic attēditur secundum influentiā superiori in inferiora, quia est vnitatis regimini, quatenus inferiora per superiora reguntur. Verū tamen hæc ratio parum etiam cogit, quia vnitatis vniuersi, quantum ad corpora attinet, per ordinem situm, & subordinationem corporū simplicium consentaneum naturis eorū sufficienter saluatur. Sicut n. domus est vna, & imago etiam est vna, etiam si vna pars nō habeat in aliam actiuam influentiā: ita hic mūdus potest esse vnus, & aliquod corpus potest pertinere ad vnitatē eius sine influentiā, secundum alium conuenientem ordinem. Sic ergo vt celum empyreum ad vnitatē mundi pertineat, satis est, quod sit quali pulcherrimi relictū totius vniuersi continens, & quali complens illud. Accedit, quod influentiā, quæ nunc est, nō est principaliter propter vnitatē, sed supposita vnitati vniuersi, ad eius cōseruationem, & perpetuitatem ordinatur. Vnde elemētū ignis per se nihil influit in inferiora, sed per illud influunt celi, quia non potest influentia transire ad remota corpora, nisi proxima prius afficiat. Si tamen posset heri, vt celum lunæ nihil influeret in ignem: nihilominus ad vnitatē vniuersi pertineret. Et declaratur ex statu vniuersi post diem iudicii: cessabit enim influentia, & nihilominus vnitatis mūdus permanebit.

Tertia ratio philosophica, & valde verisimilis est, quia omne corpus naturale habet aliquā vim actiuā, & hoc videtur pertinere ad perfectionem formæ: hæc autem virtus in rebus non videntibus non est ad agendum in seipsis, sed ad agendum in alia. At verò celum empyreum est substantia constans forma quadam valde perfecta in illo ordine: ergo non caret omni virtute agēdi. non est autem perfectum, vt gradum animæ attingat: ergo virtus eius non est actiua immanente actione: ergo transeunte: ergo est potens influere in alia: ergo de facto influit. Hæc vltima consequētia probatur, quia illa virtus de se naturaliter, & necessariò agit, quia nō est libera, vt suspendere influentiā valeat, vt est per se notū. Neq. est verisimile, vt proximum celū sit incapax influentiæ eius, vt hæc ratio sit perpetuo otiosa, & carens actione ob defectum pāsi capāci, quia nō videtur hoc optimæ dispositioni corporū vniuersi, & sapientissimæ providentiæ diuinæ consentaneū: ergo illa vis actiua celi empyrei semper est in actu, ac subinde in cetera corpora continuè influit. Et hæc ratio vniuersi Dur. Rich. & Egidius. Alij addunt, pbationem ab experimento quodam, de quo statim videbimus.

Atque hæc ratio maximè confirmatur, quia hic ordo rerū per se pertinet ad perfectionē, & nullū habet incommodum, vt patebit respondendo ad motiua contrariæ sententiæ. Ad primū n. negatur consequentia: nam licet hoc celum per se primo non sit factum, ppter influentiā, consequēter, & quali per se secundò illā habere necessariū fuit: quod debuit esse perfectissimū, ac pinde maximè actiuū, nec debuit carere pportionato subiecto, in q. suam virtutē exercere posset. Ad secundū falsa est illa in primis illa vniuersalis ppositio, q. corpus non mouet

SVARI
de Angel
re 6. d. 1. r.
am 1. d. 1.

1. d. 1.

mouet nisi motum. Nam licet fortasse in motu locali id habeat verum, quando vnum corpus per se, ac immediatè mouet, & impellit aliud, in motu alterationis non est ita, potest enim vnum corpus quietum localiter manens, aliud mouere per alterationem propriè, aut late sumptam, prout illuminationem, & omnem mutationem ad qualitatem per se tendentem comprehendit, quia nulla est ratio, ob quam illa conditio motus localis in agente ad alterationem, vel similem actionem necessaria sit, vt alibi latius dictum est. In alijs autem celis necessarius est motus ad influendum, non per se, nec quia simpliciter necessarius sit in celo, vel altris ad agendum, absolute in inferiora, sed quia est necessarius ad ordinate agendum, prout ad conseruationem vniuersi necessarius erat. Vnde ille motus solum est necessarius vt applicatio agentis ad passum, id est, vt sol, luna, &c. ad diuersas mundi partes applicentur, & ita possit horum aliorum influentia ad vniuersum extendi cum intermissione, & vicissitudine ad eius vtilitatem necessaria. Nam si sol, v. g. in vno situ semper quiesceret, res sibi presentes corrumpere, & alie propter eius absentiam perirent. Idemq; suo modo verum est in ceteris planetis. Et in hoc sensu verum est mundum hunc inferiorem periturum fore, si celi quiescerent, & non in alio, vt in Philosophia tradidit, & attigi in Metaph. disp. 21. sect. 3. & disp. 22. sect. 5. præsertim in fine. At vero ad influentiam celi empyrei non fuit necessarius motus eius, quia, vt supra dixi, in suo esse, & compositione partium est vniuersum, & omnino homogeneum, & ideo non plus, neq; aliter in vnam partem orbis, quam in aliam influeret, etiam si circulariter moueretur, quia per talem motum non fieret huic, vel illi hemisphærio propinquior secundum partes magis, vel minus, vel alio, & alio modo effectrices, sed tantum secundum diuersas partes materiales, quæ varietas ad influentiam nihil refert. Non desunt tamen, qui tribuant illi celo varias influentias secundum partes diuersas, de qua opinione in responsione ad quartum videbimus.

Ad tertium dicimus primo, non esse necessariū, vt omnes cælestes influentiæ fiant per lumen, nam possunt habere alias innatas proprietates, per quas agant, vt in singulis planetis mihi probabilis est. Vnde iuxta specifiçam diuersitatem cælorum vel aliorum est etiam varietas in proprietatibus, & consequenter in influentijs, quæ ab illis manant. Sic ergo esto effect verum, cælum empyreum non influere per lumen, poterit influere per aliam, vel alias virtutes sibi connaturales, per quas non influet illuminando, sed immediatè efficiendo in celo sibi propinquo aliquam aliam qualitatem nobis ignotam non repugnantem incorruptibili corpori, quia non disponit vllō modo ad corruptionem, sed tantum perficit, ad modum luminis, vel similitum qualitatum. Quod optimè confirmat Richar. quia influentia lunæ, vel Solis attingit, vbi lumen eius non attingit, vt ad viscera terræ, & alia opaca loca: sic ergo poterit cælum empyreum aliquid influere in primū mobile, esto radios luminis in illud non mittat. Ad do vero licet sit probabile, lumen celi empyrei non emittere radios luminosos, vel quia eius splendor est alterius rationis à luce Solis, vel quia est corpus adeo rarum, vel subtile, vt ad illuminandum, non sufficiat: nihilominus hoc non esse certum, nam fortasse etiam crystallinum cælum fulget in se ex vicina influentia celi empyrei. Nulla enim experientia aliud constare nobis potest: nam fieri optimè potest, vt illa influentia sit, & a nobis non videatur. Vel quia primum mobile est corpus ita densum, & opacum, vt penetrari non possit lumine, sed potius radios superioris corporis in se con-

suare. De opere sex dierum.

tineat, & vmbra reddat, vt corpus lunæ, & similia: vel quia propter nimiam distantiam non potest lumen illud huc perungere. Sicut etiam cælum empyreum cum sit lucidum, & visibile, sine dubio visibiles species ex se emittit, & nihilominus a nobis videri non potest, quia propter nimiam distantiam, vel obstaculum alicuius celi intermedij species visibiles ipsius ad nos non pertinent. Idem ergo potest esse de lumine.

In vltimo argumento petitur, quæ sit influentia illius celi. In quo puncto aliqui antiqui, vt A. lenfis, & D. Thom. supra referunt, dixerunt, influentiam huius celi consistere in quodam speciali lumine necessario ad coniunctionem animæ rationalis cum corpore: nam ad coniunctionem animæ sentientis ponunt aliā specialem influentiam celi crystallini ad vniōnem vero animæ vegetatiuæ influentiam celi stellati. Sed hæc opinio antiquata, & merito reiecta est, quia sine fundamento cōtingit illorum luminū necessitatē, cū explicare nō possit, qd sint, vel cur excogitentur. Nā ad coniunctionē cuiuscunq; animæ, siue formæ corporis, nullū mediū est necessariū præter vltimā dispositionem, vel organizationem animæ proportionatā: hæc a. dispositio p. missionem elementorū cum communij influentia cælorum, coëficiēte, si opus sit, proxima causa vniūta, vt in viuētib. perfectis inuenitur, sufficiēte sit. Ergo frustra fingitur influentia celi empyrei propter coniunctionē animæ rationalis cum corpore, nam licet fieri possit, vt illud cælū in eam influat, tamen sine illa influentia posset etiā facile subsistere & intelligi, prout ab Aristotele dicente, sol. & homo gen. at hominē, intellectus est.

Alij tribuunt huic influentiæ celi empyrei diuersas inclinationes, & dispositiones hominum in distinctis, ac distantib. orbis plagis habitantibus. Nam cum oēs illi habeant oēs influentias cælorū mobilium, & nihilominus semper inter se habeant illam diuersitatē complexionum, & proprietatū connaturalium, & quasi indiuidualium, nō potest illa diuersitas oriri ex influentia cælorum mobilium. Vnde concludūt, prouenire ex celo immobili quod semper habet diuersas influēcias in omnib. illis regionibus, & plagis vniuersi, ita vt in vnaquaq; semper sit eadem, & inter se sint distinctæ propter diuersas partes celi immobilis semper immobiliter influentis. Quā sententiā referēs Richard. supra de illa dicit euidētius rationi concordare. At hæc sententia supponit cælum empyreum ex se, & per se distinctas qualitates, & proprietates influere p. distinctas partes suas correspondētes diuersis hemisphærijs, ac regionib. terræ. Hoc a. repugnat his, quæ de homogeneitate talis celi diximus: nam si partes eius sūt omnino similes in substantia, & dispositionib. suis, quomodo possunt in vi agēdi esse dissimiles, & variæ, cū vis agēdi vel sit p. formā, & dispositiones, vel certe ex forma vt informante materiā sic dispositā consequatur. Quā ppter cum Rich. dicto a. 3. q. 2. fateatur, illud cælū esse homogeneum, & vniuersum in esse suarum partium, non videtur loqui consequenter in quæst. 3. distinctas influentias per se illis partibus attribuens.

Deinde illa experientia nullū signū est talis diuersitatis influentiā a celo empyreo secundum diuersas eius partes prouenientiū. Quia potest ex alijs causis tum materialib. tū etiā efficientib. prouenire. Nam in varijs regionib. orbis potest terra esse diuersimodè disposita, & alijs elemētis aliter, & aliter mista Vnde, prouenire potest, vt, cæteris parib. diuersa mista ex illa generentur, & corpora etiam cōplexiones varias fortiantur. Accedit, quod Solis, & aliorū planetarū aspectus, & respectus sunt varijs respectu diuersarum regionū, vel secundum propinquitatem, vel distantiam ad orientem, vel alias plagas orbis, vel secundum aspectū directum,

C 2 aut

14.

Circa 4. argument. opinio 1.

Reijcitur

15.

2. Opinio.

Impugnatur prima.

16.

Impugnatur 2.

Tandem impugatur.

E. Z. lis, opp. im, et

1. 2.

aut obliquum, tam respectu Solis, & singulorum planetarum, quam secundum varios ipsorum, & aliarum stellarum concursus. Hæc a. habitudo, & dispositio ex parte terre semper est eadem propter immobilitatem eius, & ideo semper in illis regionibus pro illarum diuersitate eadem distinctio in effectibus, vel conditionibus eorum reperitur. Non prouenit ergo ex solo cælo empyreo, quantumvis supposita influentia huius cæli, possit ad illam cooperari, non quia in partibus suis ex se habet distinctam virtutem influendi, sed quia eadē virtus aliter concurrens cum alijs causis vniuersalibus, vel particularibus efficientibus, & materialibus, potest ad diuersos effectus cooperari, sicut in varijs coniunctionibus planetarum contingit.

17.
Vera resolu-
tio prædictæ
influentiæ.

Dico ergo, non constare nobis, quod specialem proprietatem, vel effectum influat cæli empyrei per se spectati, & sola sua virtute efficiendo in aliud corpus. Neque propter hunc defectum nostræ cognitionis negare debemus omnem illius cæli influentiam, quæ euidens nobis est, in rebus nobis vicinioribus esse plures virtutes agendi, quas ignoramus, quæ earum effectus experti non sumus, nec satis experiri, aut ab alijs causis distinguere possumus. Satis ergo est, quod in generali, & veluti à priori ex illius corporis nobilitate colligamus, non posse carere omni agendi virtute. Vnde D. Thom. dicta solut. ad 2. in generali dixit, influere illud cælum in sibi proximum aliquid ad dignitatem pertinet. In dicto a. quolib. dicit cooperari ad perpetuitatem, & stabilitatem vniuersi. Verisimile a. est, de facto non influere in hæc inferiora, nisi coadiuuando, & cooperando alijs astris, & cælis: & ita non habere aliquem specialem effectum præter eos, qui ab alijs cælis proueniunt, quantumvis ex influentia cæli empyrei vel maiori virtute, & efficacia hant, vel etiam aliter temperant, & disponantur. Neque de ista influentia ita occulta aliquid aliud dici cum fundamento posse existimo. Nam quod quidam dicunt, habiturum specialem influentiam in corpora beatorum, incertum satis est, si de influentia distincta ab emissionem intentionalium specierum intelligatur: nam sine dubio delectabuntur beati splendore, & pulchritudine illius cæli non tantum mente, sed etiam oculis visa, & ad hoc ab illo species recipiunt. Alia vero influentia, non video, quo fundamento asseratur.

CAPVT VI.

Utrum in verbis illis. In principio creauit Deus cælum, creatio etiam Angelorum comprehensa sit.

1. Altera confirmatio in c. 4. n. 14. prætermissa hoc incidens dubium petebat, quod in superiori tract. l. 1. c. 3. n. 12. attigimus, & in hunc locum plenius tractandum remisimus. Duæ igitur questiones hic distinguendæ sunt, una est, an Moyses in tota illa narratione creationis mundi creationem Angelorum prætermiserit. Altera est, si illam non prætermisit, quo verbo, & quomodo illam significauerit. Et ita hæc posterior questio bipartita est, solum n. possunt Angeli comprehendi in toto illo capite vel sub nomine cæli, vel sub nomine lucis, quia in nullo alio verbo aliquod fundamentum, aut vestigium illius significationis cogitari potest, & ita de illis tantum duobus variæ opinionēs fuere. Nunc ergo solum de creatione cæli agimus, de lucis productione in lib. seq. videbimus.

2. Est ergo opinio satis antiqua, & recepta, Moysen in eo capite nullam de creatione Angelorum mentionem fecisse, imo ex instituto illam prætermisisse. Ita supponunt Basil. l. de Spiritu sancto. c. 16. & homil. 1. Exaëmer. & Chrysostomus de Ieiunijs, & Gen. lectione, quæ habetur post homilias in Gen.

idemque habet hom. 2. in Gen. & in id. Psal. 8. Quam video calosuos. Epiphanius. hæref. 65. in principio, Cyrillus. l. 3. cont. Iulian. s. 5. igitur quod, Athanasius. q. 1. ad Antioch. Theodoret. q. 2. in Gen. & indicat Hieronymus epist. 139. ad Cyprian. in principio dicens, Moysen visibilium tantum rerum creationem narrasse. Præterea in hac sententia conueniunt omnes, qui senserunt Angelos fuisse creatos ante illud principium, de quo loquutus est Moyses, cum dixit, *In principio creauit Deus cælum*, quos supra suo loco retulimus. Quia Moyses tantum narrat creationem earum rerum, quæ in illo principio creata sunt: ergo si iam erant Angeli, non potuerunt sub illa narratione comprehendi. Et simili modo eiusdem opinionis necessario sunt, qui dicunt, Angelos fuisse creatos post primum diem, quia sic etiam non possunt sub illis verbis comprehendi. Sed hæc opinioniones in superiori tractatu reiectæ sunt. Veruntamen licet Angeli fuerint creati simul cum cælo, vt ibi posuimus, fieri potuit, vt Moyses in sua narratione illam prætermiserit. Quod autem ita sit, probatur ex verborum proprietate accipienda. Cur autem Moyses Angelos prætermiserit, variæ rationes à Patribus redduntur. Prima est Athanasius, Chrysostomus, & Theodoretus, ne illis ille populus Angelos vt Deos coleret, si illorum notitiam reciperet. Secunda, quia Hebræi tunc erant incapaces, & non poterant creaturas spirituales concipere, ideoque satius visum est, eis occasionem præbere, vt ex visibilibus ad invisibilia ascenderent, quam statim de spiritualibus rebus sermonem eis facere. Ita indicant Chrysostomus & Basil. & fauet Ambr. l. 1. Exaëmer. ca. 5. & Cyrillus dicens: *Non oportebat dicere ea, quæ intelligi nequebant.* Tertia, quia narratio de Angelis aliena erat à scopo Moysis, qui erat rudem populum ad Dei cultum, & ad Mosaicæ expectationem per res, & ceremonias sensibiles disponere, altioribus rebus prætermisissis. Ita significat Cyrillus lib. 2. cont. Iulian. s. 4. vers. Itaque de Moysen, cum sequente.

Secunda sententia huic extremæ contraria est, Moysen in illis verbis, *In principio creauit Deus cælum & terram*, per se ac immediate loquutum esse de Angelis, illorumque solos nomine cæli significasse, quoniam non sine aliqua metaphora per cælum intelligendo supremum ordinem rerum, quibus hic mundus componitur. Sicut n. vnus homo, qui microscopos dicitur, corpore, & spiritu constat, ita mundus ex rebus spiritualibus, & corporalibus componitur, illæ ergo nomine cæli, hæc vero nomine terra significatæ sunt, vel quoad totā earum existentiam, vel quoad materiam, ex qua oēs corporeæ formæ sunt. In qua expositione posterior pars de nomine terra postea expenditur, quoad priorē vero huc pertinet. Et approbat illam Aug. l. 12. Confess. c. 7. s. 9. sequitur Gregorius 37. Moral. cap. 24. alias. 25.

Veruntamen sine vlla dubitatione dicendum est primo, Moysen nomine cæli non significasse solos Angelos. Hanc assertionem probant sufficienter, quæ c. 3. & 4. copiose tractata sunt. Estque communis sententia antiquorum Patrum præter citatos in priori sententia, Dionysius. c. 4. de diuini nominis in prima eius parte, Basil. hom. 1. Exaëmer. & sæpe in seq. & præsertim in hom. 9. vbi has allegorias, quæ simplicem, ac literalem sensum excludant, graueret comprehendit. Vnde Gregorius etiam Nissen. in principio Exaëmer. in eam curam incumbendum esse dicit, vt rebus in significatione propria manentibus, certum rerum procreationem contempleremur. Eademque est sententia Ambr. toto l. 1. Exaëmer. & l. 2. c. 1. & sūt postea sequuti Beda in Exaëmer. initio. Hugo de S. Victor. in elucidat. Gen. c. 3. & 9. & ibidem Glossæ, & modernij.